

eciam in integrum adversus ipsa restituendi; necnon eidem vestre sanctitati et successoribus vestris concedendi et donandi irrevocabiliter potestatem per biennium continuum duraturam, a die vestre sanctitati data et tradita potestate^a computandum, civitatibus et communitatibus quorumcumque locorum necnon aliis singularibus personis, regibus, principibus, baronibus aut quibuscumque aliis cuiuscumque status vel eminencie existant remittendi, condonandi et quictandi omnes et singulos excessus, iniurias, rebelliones, inobediencias et offensas commissas contra imperium ac reges et imperatores Romanos, officiales vel gentes ipsorum quoscumque a quinquaginta annis et citra ac eciam processus et sentencias, mulctas, infamias et penas quaslibet inde secutas rescindendi, revocandi, annullandi, infringendi, tollendi et penitus abolendi; et contra eosdem processus, sentencias, penas, mulctas et infamias ipsos et unumquemque ipsorum in integrum restituendi et alias de illis, quociens et quando vestre placuerit sanctitati, insimul vel divisim per vos vel alium ordinandi et disponendi alte et basse pro vestre libito voluntatis. Promittendi insuper et nos obligandi, quod revocaciones, remisiones, cassaciones, annullaciones seu in integrum restitutiones, quas sanctitas vestra ex premissa nostra concessa potestate fecerit per se vel alios in premissis vel aliquo premissorum, ratas et gratas habebimus et publicis instrumentis necnon litteris et sigillis nostris muniemus, roborabimus, firmabimus et confirmabimus, quando et quociens fuerimus requisiti, quodque eciam per nos ipsos huiusmodi sentencias, processus et in integrum restitutiones ad vestre sanctitatis solam intimacionem aut requisicionem vel dictum tollemus, remitemus, submovebimus, revocabimus et penitus annullabimus, nullis dilacionibus aut occasionibus exquisitis.

Item vice et nomine nostro et pro nobis revocandi omnia et singula, que sub titulo imperiali per nos facta aut gesta fuerunt Rome vel alibi ubicumque et qualitercumque, ac pro nobis promittendi et firmandi, quod eadem omnia et singula revocabimus, annullabimus et irritabimus ac irrita pronunciabimus propria in persona, quando sanctitati vestre videbitur expedire.

Item vice et nomine nostro et pro nobis promittendi, firmandi ac iuramentis et certis penis nos obligandi, quod nos nec officiales nostri regna, provincias, ducatus, comitatus, Romam et alias civitates, oppida, castra, terras, iurisdicciones, homines vel vassallos cuiuscumque status vel

1) So Or.